



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

XLVII. Indulg. plen. perp. pro Hospitali Oppidi de S. Cloud Parisien. Dioec.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

Bonifacii PP. VIII. prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in Judicium non trahatur; aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; necnon quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & Provinciæ, aliisque quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis; statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus præ plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens; ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XIX. Maii MDCXCIV. Pontif. nostri Anno Quarto.

XLVII.

Conceditur Indulgentia Plen. Perp. in articulo mortis ægrotis in Hospitali Oppidi de S. Cloud Parisien. Diocesis.

Similis Indulg. concessa fuit Hospitali SS. Salvatoris de Urbe Const. ed. 1694. Jan. 5. Pont. 3. Et Const. ed. 1694. Aug. 18. Pont. 3. conceditur Archiepiscopali S. Spiritus de Urbe.

Dat. 20. Julii
1694. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Preces Ducis
Aurelianen.

EX injuncto Nobis Divinitus Sacrosancti Apostolatus Officii debito Animarum saluti quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, ac supplicationibus dilectissimi in Christo Filii Nostri Philippi a Francia Ducis Aurelianen. Nomine Nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, omnibus, & singulis utriusque sexus Christianis ægrotis in Hospitali Oppidi, seu loci de S. Cloud Parisien. Diocesis ab eodem Philippo Duce (ut asseritur) fundato pro tempore morientibus, in cujuscumque eorum mortis articulo si vere penitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti Nomen Jesu ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Concessio
præd. Indulgentiæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XX. Julii MDCXCIV. Pontificatus nostri Anno Quarto.

XLVIII.

Conceditur facultas recitandi Officium, & celebrandi Missam B. Joannæ Alphonsi V. Filiæ Monialis Ordinis S. Dominici in toto Regno Portugallia, & d. Ordine ab omnibus utriusque sexus.

Confirmatus fuit cultus hujus Beate Const. ed. 1693. Apr. 4. Pont. 2. Et ab Inn. XIII. Const. ed. 1724. Febr. 15. Pont. 3. cultus B. Andrea de Comitibus. Bened. vero XIII. Const. ed. 1726. Dec. 10. P. 3. est de B. Agnetæ Ord. S. Dominici.

Dat. 30. Aug.
1694. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a
causis hujus
concessionis
petitum.

EXigit injunctæ Nobis Divinitus Apostolicæ servitutis ratio, ut Sacrarum Virginitum in

Calis cum Christo earum sponso regnantium cultum, & venerationem in Terris promovere studeamus; sicut præ Regum Orthodoxorum præclaris in Ecclesiam Dei meritis fulgentium, necnon Religiosorum propria, alienæque saluti laudabiliter incumbentium studiâ postulant; & Nos Locorum, & temporum qualitatibus mature perpensis ad Omnipotentis Dei gloriam, ad Ecclesiæ decus, & præsidium, ac ad spirituales fidelium ædificationem, atque consolationem conspiciamus in D. salubriter expedire.

§. 1. Itaque gloriosa Beatæ Joannæ clar. me. Alphonsi V. dum vixit, Portugallia, & Algarbiorum Regis Illustris natæ Monialis non professe Ordinis Sancti Dominici merita devota consideratione, magnaue Charissimi in Christo Filii Nostri Petri Portugallia, iidem, & Algarbiorum Regis Illustris, necnon Charissimæ in Christo Filiæ Nostre Mariæ Sophiæ Reginæ ejus Uxor per dilectum Filium Benedictum de Fonseca, ejusdem Petri Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Residentem, ac etiam dilectorum Filiorum Antonini Cloche Magistri Generalis, & Paulini Bernardini Fratris expresse professi dicti Ordinis in Sacra Theologia Magistri Cause Beatificationis, seu Canonizationis ejusdem Beatæ Joannæ Postulatoris Nomine Nobis humiliter porrectis supplicationibus, favorabilem assensum præbere cupientes, ipsorumque Antonini Magistri Generalis, & Pauli singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Senteantiis, & censuris a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum ferie absolventes, & absolutas fore censentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio, ut in posterum quolibet anno die 12. Maii anniversaria obitus memoratæ Beatæ Joannæ possit de illa in toto Regno Portugallia ab omnibus utriusque sexus Christianis tam Secularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur; necnon in Universo Ordine præfato recitari Officium, & celebrari Missa de Communi Virginitum sub ritu semiduplici juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Preces Regis
& Reginæ
Portugallia
aliorumque.

Concessio
præd. die 12.
Maij sub ritu
semiduplici.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, caterisque contrariis quibuscumque.

Clausula.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Aug. MDCXCIV. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Confirmantur Constitutiones pro Archiconfraternitate S. Hieronymi Charitatis de Urbe.

XLIX.

Confirmata fuit, & in Archiconfraternitatem erecta cum concessione Indulgentiarum a Leone X. Const. edit. 1520. Jan. 27. S. Congregationibus Charitatis concessa fuit Indulgentia plen. hujus Pontificis Const. ed. 1693. Dec. 14. Pont. 3. Et Const. edit. 1700. Jun. 21. Pont. 9. confirmantur Constitutiones pro Congregatione Charitatis in Indiis Occident.